



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

10. De diligentia in Sacrificio Missæ adhibenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

dum est, qua ratione suis temporibus et quoque possimus in aliorum utilitates conuertere. 4. Prodest non mediocriter, ut in aliquibus egregiis sententiis hæreamus diutius, & quæ lecta fuerint, expendamus, & rulinemus, ea ut oblectent magis, & benè comparato stomacho gratiora accidant. 5. Plus semper in lectione inquirendum, quòd mores nostros ad virtutem instruat, quàm quòd intellectum acuat ad disputandum, vel linguam expoliat ad eloquendum. 6. Lectionem debet præcedere & subsequi, immò nonnunquam comitari & interrompere oratio, ut nimirum non tantum erudiatur intellectus per lectionem, sed & inflammetur affectus per orationem.

PARS DECIMA.

*De adhibenda diligentia in Sacrificio
Missæ vel celebrando, vel
audiendo.*

Postremum Exercitium, quod diebus Dominicis & festis, nō postremò, sed primò, & principaliter Christianis omnibus, idque sub peccato mortali (nil legitima causa excuset) faciendum incumbit, est Sacrosancti, & augustissimi Missæ sacrificii.

erificij vel celebratio, vel auditio. Quin etiam Sodalitatis Regula sexta, quotidie sodalibus audiendum sacrum, admoner.

Quam verò sacerdotibus vel quotidie, vel sæpè Missam celebrare conueniat, sequens beati Bonaventuræ sententia demonstrabit. Sic igitur ille: Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens quantum in eo est, priuat sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, In purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spiritali Christi beneficio, seipsum medicina, & remedio. Laicis verò quàm expediat rei huic diuinissimæ quotidie interesse, admirabiles sacrificij Missæ fructus, effectusque eximij; Sanctorum exempla, Regum etiã & Principum; innumera quoque miracula; ac omnium maximè, ipsius sacrificij dignitas & maiestas, mysteriaque eius augustissima docent, & clamant.

*In tract. de
præpara-
tione ad
Missam.*

GREGORIUS XIII. PONT. MAX.

*concessit cuilibet Sacerdoti dicenti,
ante celebrationem Missæ, quæ se-
quuntur, 50. annorū Indulgentiam.*

E Go volo celebrare Missam, & con-
ficere Corpus, & Sanguinem Do-
mini

L 6

mini

mini nostri Iesu Christi, iuxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque curiæ triumphantis; ad utilitatem meam, totiusque Curie militantis, pro omnibus, qui se commendauerunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ poenitentiae, gratiam & consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotēs & misericors Dominus. Amē.

Gregorius verò XIII. omnibus Sodalibus, qui Missæ sacrificio diebus feriatis interfuerint, concessit vnius anni Indulgentiam.

PARS VNDECIMA.

Modus utiliter audiendi Sacri.

Missæ sacrificiū repræsentatio est sacrificij, à Christo Iesu in cruce peracti. Vnde sacerdos gerit personā Christi patiētis, & tota Missæ actio similitudinem habet cū Christi Passione. Quocircā mod⁹ optimus audiendi sacri, meriti, gratiæ, & cōsolationis, plenissimus; is est, quo, vel toto decursu sacrificij, vel aliqua eius parte, Christi